

OFFICIUM SUPREMUM
IN MEMORIAM ET HONOREM
SANCTISSIMI SENIS,
VIRI
MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLIS-
SIMI ATQUE CONSULTISSIMI,
DOMINI
DN. **P**ETRI
LÜTKENS,

J. U. L.


ET INCLYTÆ REIPUBLICÆ
HAMBURGENSIS CONSULIS PRÆSIDIS
MERITISSIMI, NUNC DESIDERATISSIMI,
PRORSUS IMMORTALEM,

CUM OCTOGESIMUM ET PRIMUM
ANNUM ÆTATIS AGERET, DIE XXVIII. AUGUSTI
ANNI M DCC XVII. PLACIDE DEMORTUI, IN IPSA EXEQUIARAM
DIE VI. SEPT. PUBLICO NOMINE PERSOLUTUM,

A MATHEMATUM PROFESSORE PUBLICO ET GYMNASII RECTORE

BALTHASARE MENTZERO.

HAMBURGI, TYPIS CONRADI NEUMANNI, SENATUS ET GYMNASII
TYPOGRAPHI.



Senectus ipsa mors est
 & vitæ occasus, dum fibræ, ex quibus
 corporis animati partes solidæ constant,
 retardatæ ad tantam redactæ sunt duri-
 tiem, ut nutriri atque crescere prorsus
 nequeant, ita omni ætati mors commu-
 nis est, *Senioribus* imprimis, quorum vita plus laboris
 quam commodi habet, unde *Isidoro teste*, a sensuum
 diminutione nomen sortiti sunt: Sanctissimus Noster
 Senex, Vir Magnificus, Nobilissimus, Am-
 plissimus atque Consultissimus, Dominus
PETRUS LÜTKENS, J. U. L.
 & Inclytæ Reipublicæ Hamburgensis, Consul
 Præses longe meritissimus, &c. non Viri tantum vel
 hominis, sed multorum quoque insignium meritorum
 nomen habet, quo Sacro-Sanctæ Religionis custodia,
 purus Evangelicæ doctrinæ stylus & sensus, Regimen
 pacificum, Civium salus, & quæ alia plura ornamenta
 & fulera Reipublicæ esse solent, luculenter & copiose
 complectuntur & exprimuntur. Hoc nomen Beatus
 Noster Consul habet & omen, Qui ab ipsis tenerri-
 mis

mis unguiculis, post puram satis & temperatam adoles-
 centiam, in omnibus pluribus & ultimo Consulatus
 officiis, turbulentissimis maxime & calamitosissimis
 annis, Republicæ inserviando Seipsum, candelæ ad-
 instar, consumsit. Ita per breve & longum temporis
 spatium bene vixit. Tempus, quod omnia mortalis
 vitæ curricula temperat, tempore temperandum, &
 quando breve, ad bene vivendum satis longum est;
 quot dies anni vel menses cuique ad vivendum dan-
 tur, iis contentus esse debet. Homo Viator in bivio
 constitutus ab ipsis crepundiis ad capulam, & per
 viam hujus vitæ ad mortis claustra festinat, atque
 ita vivere simul & mori incipit. Mors, ultima linea
 rerum, post piam & honestam vitam optanda est,
 quia animum eo deducit, ubi in beata felicitate æter-
 nus futurus est. Satietas vitæ tempus mortis matu-
 rum est; *Senium* res grata est mortalibus & ingrata;
Grata, quando sanitate aliisque beneficiis ex ipsorum
 proprio aliorumque voto, per vitam longævam fruun-
 tur, quam ipse DEUS omnis boni dator, Sacra
 Scripturâ teste, omnibus, Eum pie colentibus, gra-
 tiose promittit; *Ingrata* vero, quando, anxie olim
 desiderata, nunc hominem, ob corporis infirmita-
 tem, ad res feliciter peragendas arceat, volupta-
 te sæpius exoptatâ eum privat, atque de mortis
 suæ indies appropinquantis vicinitate certior red-
 dit. Hoc non obstante, *Senectutem* duabus manibus
 amplectendam esse, in Catone suo suadet Cicero, &
 cum eo plures Ethnici sapientiores, quos inter *Socrates*,
 omni laude major, familiam ducere videtur, vo-
 vens: Ut amicorum animi apud Platonem a metu
 mortis, cum ipse ipsi vicinus jam erat, revocarentur.
 Ex Cyri admodum *Senis* jam morientis habito ser-
 mone apud *Xenophontem*, quo nunquam valetu-
 dinem suam imbecilliolem factam, quam fuisset
 in adolescentiâ, fatetur, concludere possumus, quod
 a mortis

a mortis metu correptus non fuerit. *Leontinus Gorgas*, ultra centum annos, teste Cicerone, vixit Centum annos Romani numerabant, iisque absolutis ludos celebrabant & parietibus, singulis annis, clavos infigebant. **Noster Beatus Senex**, qui ad Clavum Republicæ sedit, ultra bis quatuor Clavos denarios Curie nostræ parietibus infixit: *Mathematici* 7. & 9. albo calculo notant annum, quorum multiplicatio vel quadrata vel alterius per alium, annum producit quadragesimum nonum, qui Climactericus, & annum sexagesimum tertium, qui Climactericus magnus vocatur, quibus annorum Spatiis Ethnicorum periisse non unos, patet, *Aristotelem* scil. *Ciceronem*, *Platonem* duos *Dionysios*, aliosve plures, quos annos fatales **Beatus Noster Consul** superavit, verum annus **LXXXI.** (quem Alii ex IX. numeri quadratura genitum Climactericum maximum vocant) terminus & finis Vitæ ipsius fuit, atque ita modice vixit, æque ut *Mathusala*, qui, utut, *Sacra pagina* teste, ultra nongentos sexaginta & octo annos vixerit, non nisi modice vixit, neque aliud post ejus discessum superesse potuit, quam vapor ad modicum parens. *Sanctus Psalmista* ultra octogesimum non promittit, quem **Noster** per **DEI** gratiam superavit, quo elapso, præter laborem, in hac vita brevi, & dolore Ipsi nihil remansit. Verum, uti generosus miles, accepta clade, non frangitur, sed potius accenditur, ita **Beatus N. Consul**, corroboratâ a **DEO** sanitate, summâ integritate justus semper & incorruptus Custos, ut *Horatii* verbis utar, & rigidus Satelles, in dummo Regiminis officio & Consulatus munificentissimo munere, prudenter & constanter stetit: *Ampla* hic mihi aperitur *Porta*, transeundi per *Campum* ampliorem, ad depingendam amplissimam, **B. N. C.** Virtutum laudem; Verum cum fama *Tanti Viri* immortalis, & plus quam *millies mille* testium liberrimo & infucato testimonio corroborata sit, calamus ponere, aliisque lampada tradere placet: Paucis ea subjiendo, quæ de Vita *Beati nostri*, per placidam, ad *Beatorum Coetum*, translati *Consulis* mortem, communicata nobis sunt:

Primam, in hoc nostro totius Germaniæ Celeberrimo Emporio, lucem aspexit anno, seculo proxime elapso, trigésimo sexto, secunda Julii die, ex Familia Nobilissima prognatus, in ipsius, summis in Civitate hac honoribus aliquando perfuncturus, illustriorem famam atque splendorem. **PATREM** habuit **PETRUM LÜTKENS**, qui ad Clavum Regiminis hujus Reipublicæ sedit, & anno **MDC LXX**. Viennæ mortuus; inter nos tamen mortuus non est, dum laus ipsius emori non potest; **MATREM** vero è Celeberrima Familia **A SPREKELSEN** oriundam, sanctissimam Fœminam, **Dn. PETRI à SPREKELSEN**, Senatoris piæ memoriæ Filiam. Quæ anno **MDCLLXXII**. Januarii mortem cum vita & vitam cum morte commutavit. Qui Optimi Parentes filiolum suum, originali peccato contaminatum, ad sacratissimi lavacri baptismum adduci curarunt, ut Servatoris Sui **JESU CHRISTI** Sanguine ablutus, hoc Sanctissimo Divini Numinis fœdere unctus & Ipsi junctus, per omnes totius Vitæ suæ dies Gratiam consequeretur Divinam; ejus indoles optimæ expectationis & ingenii felicitas Parentibus fidem ingeneravit, ut literarum studiis Eum destinarent. Quare sine mora privatorum primo, deinde Publicorum Præceptorum & Professorum Patriæ curæ & informationi commendatus fuit, sub quorum ductu ita profecit, ut condiscipulorum suorum nulli cederet. Inde bene jactis Pietatis fundamentis, literariis quoque tirociniis optime positus, primo salutavit Academiâ Lipsiensem, atque Celeberrimis in ea Professoribus & Viris Illustribus operam dedit, ipsorum ludos privatos & subsellia publica visitando, assiduam auditorem se præbuit, & anno **MDCLLXXIX**. cum applausu & Consensu Superiorum, sub directione Excell. **Dni. Henrici Davidis Chunonis**, Licentiam in Utroque jure sumsit. Intellexit postmodum; Viro Politico peregrinationes commodum magnum afferre, secundum *Prob.* satis notum; Peregrinari in studiis, stultum; in Religione, impium;

pium; in terra commodum; Respublicas potentiores & Aulas Principum earumque Regiminum formas curate perlustravit & observavit, atque Excellentissimorum Virorum in Gallia, Germania & Italia sibi comparavit notitiam, non quidem novitatis & jucunditatis; quarum neutra simpliciter improbanda, verum utilitatis potius studio: Ubi maximum sibi collexit thesaurum, ex quo multa olim Patriæ suæ consilia utilia expromere posset.

Anno MDCLXII. ad Penates suos in hanc Civitatem reversus, Dni. Parentis sui suorumque consensu, cum Viri Nobilissimi & Consultissimi Dni. **GERHARDI LANGERMANNI**, Serenissimi Principis Hollatiæ Consilarii, nunc piæ memoriæ) filia, Virgine Nobilissima, **SOPHIA DOROTHEA**, nuptias contraxit, quod matrimoniale, post duos annos, vinculum diramors, nullis plane relictis liberis, dirupit.

Anno MDCLXXIX. die 1. Aug. in Amplissimum Ordinem Senatorium est cooptatus, sub Regimine Magnifici tum temporis Dni. Consulis **HENRICI MEURERI**, nunc piæ memoriæ, atque multis negotiis & officiis fuit admotis, quibus non sine laude est perfunctus, inde Tribus Legationibus Ipsum adhibuerunt.

Anno MDCLXXIX. Primam ad Potentissimum Gallorum Regem in se suscepit.

Anno MDCLXXXI. Secundam cum Deputatis Civitatum Anleaticarum Lübecæ & Bremæ ad Potentissimum Daniæ Regem.

Anno MDCLXXXVIII. Tertiam ad Cellensem Aulam obiit, nil plane omittens, quod ad salutem & splendorem Reipublicæ facere videbatur.

Tandem Cuius venerabiles, veræ prudentiæ interpretes; summis in Patria honoribus sunt decorati, fascibus nimirum Consularibus, qui III. Decemb. die anni MDCLXXXVII. maximo cum Civitatis totius applausu, delati Ipsi sunt.

In morbos incidit quandoque B. N. C. quorum tamen vis vi ardentissimarum precationum & medicinæ Medicorum Experientissimorum sæpius fuit restincta, & Sanitas recuperata, quæ tamen per morbos iterum fracta fuit, in-

primis pauca ante temporis spatia, quare Totum se precibus & piis meditationibus aedit, Suis valedixit, & paulo ante, sacro accepto, cum summa devotione, epulo, inter Circumstantium suspiria DEO animam suam placide reddidit.

Totam Vitam suam per annos. **XXCI.** II. Menses, & **XXVI.** dies gessit; Fasces vero Consulares, qui nunc ipse in Viventium fasciculum relatus est, per annos fere **XXX.**

Quod superest, Benignissimum rogamus Patrem, velit omnibus Nobilissimæ & Splendidissimæ Familiæ Afflictis inflicto hoc vulnus clementer lenire, perpetuâ sanitate & omni ab Iplis exoptatâ felicitate Eos beare ac Patriæ inprimis Patres Magnificos, Nobilissimos, Amplissimos, Consultissimos & Prudentissimos; quorum salute Reipublicæ nostræ Salus vertitur, salute temporali & æterna gratiose donare, in afflictâ, per hunc, e paucis **Optimi & Sanctissimi Senis**, exitum, Reipublicæ maximum commodum atque splendorem; Viros scilicet qui nomina **Virorum** non tantum sed talia quoque, cum **Beato Nostro Consule** habeant, omina, ut sint: in Religione pura, Sacerdotes; in consiliis ferendis, Consules; in sententiis dicendis, Senatores; in judiciis exercendis, Jurisperiti; in adversis perferendis, Viri cordati; erga artium peritos, Remuneratores & tandem erga egenos Benefactores &c. Qui omnes & singuli ut & reliqua Ecclesiarum, Scholarum & Collegiorum Capita & membra cum tota Civium honoratissima & splendidissima Corona, ea quâ par est, observantia & modestia, invitantur (quod etiam sponte sua facturos esse confidimus) ut Corpus, **Tanti Viri**, prolixis & dignis exequiis ad paratum, in æde Divina **Divi NICOLAI**, dormitorium comitari atque ita exoptata sua præsentia conductum hunc, horis (dicti diei 6. Sept.) pomeridianis Illustriorem reddere velint!

